

Per Illustris et Nobilissime VIR,
Equitum Decus,

Pauca, sed magnae Humanitatis verba tua epistolam
misi in epistola ad Clarissimum TVLDENVM faciunt.
Verba, non verba: toto affectu scribis. Respondes
igitur, gratiamque toto etiam affectu promo; nec
mea tantum causa, sed Amici, qui profecto obstri-
ctissimum se tibi proficetur, quia novum accepit
Beneficium: ego, quia exspecto, etiam in filio meo
debiturus. Sed si me amas, tui, temporisque rati-
onem habes: gratus erit, quod datum, non extortum
veniet, ipsa imprimis Principis lubentia aestimandum.
Scio non omnia haberi statim posse, quaedam nec
posse. Illic expectatio iucunda est, hic petitio
injusta et impia. Nolim petere, quod exspectare
non possim; nolim exspectare, nisi quod rite petam.
Error proclivis est: sed tu, si me amas, peccanti
veniam dabis, ipsam pro Beneficio repulsam habituro.
In praesenti autem liberi commeatu negotio, quia
urgencia agendi exspectanda est, tam facile perferemus
moram, quam libere operam tuam interpellavimus:
circumspicientes sedulo, et quod exspectare nos iubes
Beneficium, mereri videamur. ANNAE ROMERTAE
ingenium toto animo complexus sum, elegantiam, ita
me Deus, admiratus. Non feminam mortalem, sed Mu-
sam misisti: et ostendere illa potuit, ab Apolline se
venire. Hoc nomen omnes tibi debent, qui boni, docti,
magni sunt, aut intelligunt, quid sit bonum, doctum,
magnum esse. Sic vale, o delitium meum, et hoc nunc
FREDERICI Imperatoris Elogium cape: quod Burgundiae
Duces mox sequentur. An operae pretium?
A tuo iudicio pendebo, a tuo affectu,
qui totus tuus sum, E. Puteanus.

Lovanii, in Arce, III.

Kal. Septemb.

∞. 125. XLII.

Hug. 37.



Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



XIII



Huygens
Comptabilis HACOEMIO
D. COMPTABILIS HACOEMIO
D. COMPTABILIS HACOEMIO



Huy. 37.

Perillustri Viri

D. CONSTANTINO HUGENIO,

Equiti,

Domino in Zuylichem,

Principi à Consiliis et Secretis.

Hagam.

